

Quorundam,  
*Scriptis in publicum editis*  
 CLARORUM  
**SILESIO RUM**  
 JURISPERITORUM  
 VITAS,

*Ante solennem*

PRÆMIORUM

Distributionem,

In Gymnasio Vratislaviensi

Elisabetano,

XXXIII

i. Julii, M DC LXVI.

publicè recensendas

indicit

**MARTINUS HANNKIUS,**

Phil. Pract. Hist. & Eloq. Prof.

---

VRATISLAVIÆ,

Typis BAUMANNIANIS, exprimebat

JOHANN. CHRISTOPH. JACOB.





## L. S.

**R**o illâ virorum eruditorum innumerabili  
multitudine, quæ omnibus sæculis fuit, ex quò litte-  
ræ chartis committi cæperunt, cur adeo pauci elabo-  
randis publicandisq; libris mentem applicuerint ca-  
lamumque, rationem quærentibus geminam reddi-  
mus; ex reliquis, plurimos, in quibus multi potuerint, noluisse;  
multos, in quibus voluerint plurimi, non potuisse. Quantumvis  
enim incredibilis hominum copia reperiat, quos in doctorum or-  
dinem eruditio transtulit; in eo tamen minimam excellentes viri,  
majorem mediocres, omnium verò maximam partem tenuissimi  
constituunt. Ultimæ classis pleriq;, beatitudinem in terris in-  
signem arbitrati, divulgatis codicibus inter litteratos impetrasse  
famam, ideo, quod hanc appetere maximè, sed ob exiguam sci-  
entiæ suppellectilem desperarent, sibi met ipsis irascentes, à pagi-  
nis qualicunq; doctrina implendis dexteram inviti abstinerunt.  
Est enim hoc communius indolis humanæ vitium, ea, quæ nequa-  
quam in nos cadunt, quò minus ad votum nostrum respondere pos-  
sunt, hoc magis desiderio prosequi. Alii moderatiores, publico  
digna scribere, supra vires suas esse, intra conscientiam convicti,  
negatis patienter caruerunt, præsertim, haud negligentia suæ, sed  
deteriori naturæ, aut fortunæ asperiori, aut etiam utriq; imperfe-  
ctiorem notitiam rerum acceptam referentes. Medii atq; summi  
ordinis viros, à quibus Resp. litteraria partim expectavit egregia  
scripta, partim frequentibus etiam precibus expetivit, ne spem  
atq; desiderium implerent, alios instrumentorum necessariorum  
defectus à proposito avertit, alios suis fundamentis innixa cohibu-  
it ratio. Certè libellos posteritati quoq; legendos composituris  
libe-



liberalius quoddam otium sit, oportet. Magnum animi documentum edimus, cum loquimur, ut præsentes; majus, cum scribimus, ut etiam absentes videamur. Nam illud transitorium est, & paucissimorum sententiis subjacet; quos habet nævos, felicius tegere, facilius excusare potest: hoc longè durabilius, omnium judicio patet, totum se prodit, conspectioribus, ubi non caruerit, mendis. Sed est animo, ut faciei, non unus idemq; semper habitus. Nam velut hæc ad affectum, interius vim, vel intendentium, vel remittentium indolem, varias recipit formas: sic ille interdum naturæ suæ relictus, quantum viribus integris valeat, & qualis omnino sit, per quietem demonstrat: interdum genuina sibiq; propria statione dejectus, in diversa trahitur, &, dum simul pluribus vacat, adeoq; nulli se omnem permittit, veram sui speciem minimè ostendit. Quidam igitur, quod alia, eaq; concatenata negotia, vix delineandis, nedum, ut par erat, elaborandis operibus litteratis justum tempus concederent, fatius esse statuerunt, nulla, quam imperfecta in lucem edere, & quæ aut per se parum idoneum, aut occupatissimum festinantissimumq; loquerentur autorem. Nam, neq; fidem universis se lectoribus facturos crediderunt, si restarentur, vel jam peractis laboribus aliis defatigata, vel imminentibus curis vigorem reservaturâ, adeoque ad jugem scribendorum meditationem nunquam satis habili mente codices à se confectos; sine quò fuisset, meliores prodiisse: & veriti sunt, ut omnibus, quamvis hæc, tanquam veritati respondentia, sibi persuadentibus, aut saltem, ut dubia, suo loco relinquentibus, satisfacerent; præsertim illustrissimis illis, & supra vulgus eruditorum multo eminentissimis capitibus, quibus nihil placere solet, nisi quod vel raram ingenii excellentiam, vel singularem diligentiam, vel hanc cum illa conjunctam, sapit: quibus tamen arridere, laus præcipua videatur; contra, non probari, sed potius, aut bilem, aut pulmonem commovere, sit coram supremis rei litterariæ censoribus causâ cecidisse, sapientis esse judicantibus, domi se continere, quando sine periculo autoritati suæ metuendo prodire nequit, maximè, quando ad





hanc alexæ dubiæ committendam nullâ impellitur necessitate. Quosdam nec ingenio, neq; peritia, nec otio destitutos, instructissima Bibliotheca defecit. Qualem, ne in usuras quidem obviam, sibi comparare, urgentibus obstaculis prohibiti sunt, aut comparatam, bellicis direptionibus, irrevocabilibus flammis, imperato exilio, aliisve, seu publicis, seu domesticis calamitatibus amiserunt. Cujus præsidii defectus in primis historica philologicaq; opera, plenius antiquitatem illustratura, meditantibus impedimento fuit. Et quot eximiis viris, quò minus scripta saluberrima relinquerent posteris, perpetua corporis valetudo remoram injecit? Sed nec paucos notes, quibus ad consignanda ingenii sui præclarissima specimina nihil, præter constantiam laborisq; patientiam, defuit. Quorum numero quosdam adscribas, qui ætati se præsentem vixisse, satis habuerunt, splendidisq; provinciarum suarum dignitatibus contenti, maluerunt egregiis factis acquiram tueri, quam operosis voluminibus acquirenda gloria defatigari. Quibusdam felicissimis librorum inventoribus sola modestioris animi simplicitas utilissimum interceptum conatum, & opuscula animo concepta viliora credentibus, quam ut celeberrimorum autorum de simili materia pridem exstantibus monumentis superaddantur, & se abjectiores censentibus, quam ut in lucem publicam progressi, sæculum suum erudire præsumant. Quos vel in primis verecundia revocavit ab instituto, cum ab aliorum tritissima via recedendum, novâ incedendum esse statuerunt. Alii, ne conficerent quicquam commentariorum, invidiâ prohibiti sunt, partim alienâ, cujus in se ruentis impetum sustinere refugerunt, partim suâ, qua ducti, secretam à se inventorum scientiam secum interire, quam vel post fata, nec ullo damno suo, & magno reip. commodo, divulgare maluerunt. Reperias etiam, qui aut nullis omnino, aut iis intenderunt inclarescere monumentis, quæ minus obnoxia communioribus fati essent, à publicâ, cum errorum, tum aliorum nævorum exprobatione penitus abhorrentes. Cui se nec perferendæ, nec evitandæ cum viderent esse, stilo suo, quo exarare præstan-



stantissima poterant, perpetuum indixerunt otium, quando, cen-  
forum pace, nihil liceret publico dare. Quasi ab humano inge-  
nio, cum nihil perfectum possit, nihil debeat, quamvis utile, pro-  
ficisci; & cum quisq; suos patiamur manes, infame sit cuiquam, ab  
eo labis argui, qui nec ipse labis est expers, & per hoc suam eviden-  
ter facit conspicuam, cum vel reipsâ nullam, vel non uno modo ex-  
cusabilem impugnat. Deniq; fuerunt, quibus præcipuè annali-  
um sui temporis series accurato studio composita nomen ingens fa-  
cere potuisset. Sed ex iis non nullos periculi magnitudo deterru-  
it; quod fictis quidem narrationibus posteritati imponere, à bono  
viro; præcipua verò gestarum rerum momenta silentio prætermi-  
tere, ab historico bono alienum judicarent; ideoq;, in eâ civitate,  
in quâ ne libera quidem linguâ civibus loqui, nedum liberiore pen-  
na scribere permissum, & sequentis ævi memoriæ veram præsentis  
historiam consignare, prorsus sit capitale, tutissimum autuma-  
rent, nunquam in chartas exonerare conscientiam arcanorum, nec  
quicquam de iis scribere, qui scriptores, nisi blandientes, non  
didicerint ferre, reliquos, ut vera scribere dedoceant, vel proscri-  
bere, vel capite damnatis adscribere solent. Sic, à quibus nihil li-  
brorum accepimus, illorum aut voluntati facultas, aut facultati  
voluntas defuit.

Quemadmodum verò plures eruditione præcellentes viros, de-  
sidis, temerarii, parvi, invidi, impatientis animi, jure meritoq;  
posteritas postulat, cujus salutem & incrementum privatis causis  
postponentes, officinis librariis de ingenii sui copia nihil adjece-  
rint; ita non paucis Silesiis multa debet, qui cogitationes suas litte-  
ris tradituri, ultra fidem laborum tolerantiam difficultates, celso &  
infracto pectore invidentiam, & quicquid obstare virtuti amat, fe-  
liciter superaverint. Ex iis quorundam maximè peritia juris cla-  
rorum Scriptorum vitas crastinis horis matutinis in supremo Gy-  
mnasii Elisabetani Auditorio delecti juvenes pueriq; consideran-  
das in medium proferent. Quibus sua cuiq; persona defunctis, ex  
munificentia Nobilissimorum Reip. nostræ Patrum in singulos an-





nos meliori juventuti destinata præmia dividuntur. Illas recitaturis, hæc accepturis, ut Vos, liberalium artium in hac amplissima Civitate Statores Cultoresq; , perquam honorifica præsentia vestra calcar animumq; velitis addere, majorem in modam petimus atq; contendimus. Quod ipsum quantumvis nullo à Vobis jure, cujus necessitas quenquam teneat, nobis possit exigi: Vobis tamen, quod jure possitis à nobis expectare, conferet. Cum enim sit immutabile societatis humanæ jus, quod universos natura docet, universos obligat; quantum debeas valeasque, pro meritis referre gratiam; tot licet nobis debitores facere, quot de hominibus præclare mereri placet. Sed quò magis voluntaria, hoc acceptiora semper, & beneficia sunt; quæ humanitatis ratio dare monuit, & officia, quæ gratitudinis lex jus sit reddere. P. P. Vratislaviæ, pridie Calendas Quintilis, M. DC. LXVI.

*Scriptis clarorum*

**JURISPERITORUM SILESIIORUM,**  
eo ordine, quo decesserunt, **VITAS**  
recensebunt:

1538. JOANNIS METZLERI, Vratislaviensis, J. U. Doctoris, in Civitate Ducatuq; Vratislaviensium Capitanei; Godofredus Gosky, Winzigensis.

1567. JOANNIS LANGI, Freistadiensis, J. U. Doctoris, Ferdinandi I. Romanorum, Hungarorum, Bohemorumq; Regis, Consilarii & Oratoris perpetui; Georgius Rothius, Belensis Hungarus.

1594. HENRICI RÄTELII, Saganensis, Reip. patriæ Consulis; Joannes Christianus Wolfius, Vratislaviensis.

1602. NICOLAI REUSNERI, Leobergensis, J. U. Doctoris, Comitum Palatini Cæsarei, in Academia Jenensi Antecessoris primarii, Scabini, Curie Provincialis Saxonice Assessoris, Vinariensis & Coburgensis Aula Consilarii; Melchior Syffenbachius, Cervimontanus.

1607.



1607. *HIERONYMI TREUTLERI*, Suidnicensis, J. U. Doctoris, Casarei Consilarii, Fisciq<sup>3</sup> Regii per utramq<sup>3</sup> Lusatiam Patroni: Christophorus Henricus à Seidlitz.

1608. *JEREMIAE SETSERI*, Suidnicensis, Philosophie & J. U. Doctoris, in Academia Viadrina Professoris, in inferiori Lusatia Judicii Regii Assessoris, Bibersteinianorum Baronum Consilarii: Joannes Joachimus à Morawitzky.

1609. *ANDREÆ SCHÖPSII*, Boleslaviensis, J. U. Doctoris, Reip. Budissinae Syndici, & in Baronatu Bibersteiniano Cancellarii: Joannes Davides Bohemus, Bernstadiensis.

1612. *VALENTINI THILONIS*, Lignicensis, J. U. Doctoris: Joannes Meyerus, Vratislaviensis.

1620. *VALENTINI ARITHMÆI*, Lignicensis, Philosophie & J. U. Doctoris, in Academia Francofurtana Poëseos Professoris: Joannes Georgius Schmied / Freibergensis.

Eodem anno: *CHRISTOPHORI HENSCHERI*, Monsterbergensis, J. U. Doctoris, in Vratislaviensi Republica Syndici, Ducatuq<sup>3</sup> ProCancellarii: Georgius Godofredus ab Ebenn.

1621. *MARTINI BENCKENDORFII*, Crosnensis, Philosophie & J. U. Doctoris, Codicis in Academia Francofurtana Professoris: Fridericus Scultetus, Herstadiensis.

1627. *CHRISTOPHORI GEORGII à BERGK*, Equitis, Judicii Regii in Glogovien si Ducatu Assessoris: Christophorus Fridericus à Zedlitz.

1631. *CASPARIS SCHIFORDEGHERI*, Vratislaviensis, in provinciali Suidnicensis & Favoriensis Ducatum Judicio Advocati: Christianus Waltherus, Vratislaviensis.

1634. *GEORGII SCHULTZII*, Leobergensis, J. U. Doctoris, in Wittebergensi Academia Juridici Collegii Assessoris, Electoralis Curie Advocati, Comitum Barbiensium Consilarii & Cancellarii: Joannes Warner / Vratislaviensis.

1635. *VALENTINI RIEMERI*, Hirschbergensis, Philosophie & J. U. Doctoris, in Academia ad Salam Antecessoris, Scabini, Curie Provincie-



*provincialis Saxonica Assessoris*: Henricus Janisus, Vratislaviensis.

1636. *JACOBI SCHICKFUSII, Svebosiensis, Philosophia & J. U. Doctoris, Casarei & Ducalis Lignicensis Consilarii, Fisci Regii per superiorem Silesiam Patroni*: Joannes Thammius, Freyburgensis Silesius.

1637. *GEORGII SCHÖNBORNERI, Freistadiensis, Philosophia & J. U. Doctoris, Casarei, & Consilarii, & Comitis Palatini, Fisci Regii per inferiorem Silesiam & Lusatiam Patroni*: Casparus Hennemannus, Olfenensis.

1640. *GODOFREDI BAUDISII, Lignicensis, J. U. Doctoris, Comitis Palatini Casarei, Georgii Rudolphi, Lignicensium Ducis, Consilarii & Cancellarii*: Joannes Schmid / Vratislaviensis.

1643. *ANDRÆ SENFTLEBII, Boleslaviensis, in Vratislaviensi Republica Advocati Ordinarii*: Godofredus Ilgnerus, Hirschbergensis.

1646. *GODOFREDI FIBIGII, Vratislaviensis, J. U. Doctoris, in Academia Salana Pandectarum Professoris, Scabini, Saxonici & Consilarii, & ibidem provincialis Dicasterii Assessoris*: Martinus Klingelius, Vratislaviensis.

His tandem Juvenibus Puerisq;, præmissâ de Silesiorum eruditorum laudibus brevisima Oratiuncula, Nobilissimi Senatorum Ordinis nomine præmia distribuam, simul ad ulteriorem industriam autor & horator, M. H.





stantissima poter  
forum pace, nihi  
nio, cum nihil pe  
ficisci; & cum qu  
eo labis argui, qu  
ter facit conspicu  
cusabilem impug  
um sui temporis  
cere potuisset.

it; quod fictis qu  
viro; præcipua v  
tere, ab historico  
in quâ ne libera q  
na scribere perm  
historiam config  
rent, nunquam in  
quicquam de iis  
didicerint ferre,  
bere, vel capite c  
brorum accepim  
voluntas defuit.

Quemadmodum  
fidis, temerarii,  
posteritas postu  
postponentes, o  
rint; ita non pau  
ris tradituri, ult  
infracto pectore  
liciter superaver  
rorum Scriptori  
mnasii Elisabeta  
das in medium p  
munificentia Nol

, quando, cen-  
b humano inge-  
mvisutile, pro-  
e sit cuiquam, ab  
hoc suam eviden-  
on uno modo ex-  
ræcipuè annali-  
nomen ingens fa-  
gnitudo deterru-  
nponere, â bono  
entio prætermi-  
; , in eâ civitate,  
m liberiore pen-  
veram præsentis  
simum autuma-  
arcanorum, nec  
olandientes, non  
eant, vel proscri-  
â quibus nihil li-  
tas, aut facultati

ellentes viros, de-  
i, jure meritoq;  
m privatis causis  
opia nihil adjece-  
tiones suas litte-  
ultates, celso &  
virtuti amat, fe-  
peritia juris cla-  
s in supremo Gy-  
eriq; consideran-  
ona defunctis, ex  
m in singulos an-  
nos

